

Estque alia Veteris, alia Novi Testamenti.

Ecclesia Veteris Testamenti dicitur, quæ fuit ante Christum in carne exhibitum, & quidem statu gemino, Oeconomico & Civili.

Statum Oeconomicum vocamus, quando gubernatio Ecclesiæ erat penes Patriarchas, ipsaque intra familias eorum ferè consistebat.

Patriarchæ alii vixerunt ante, alii post diluvium.

Ante diluvium decem numerantur.

*Adam* ex *Eva* uxore filios suscepit *Cainum* & *Abelem*. Iste agricola, hic opilio factus est. *Sacra* faciente utroque, Deus sacrificium *Abelis* signo visibili approbavit : *Caini* fastidire visus fuit. Hinc natâ invidiâ, *Cainus* fratrem interfecit. Fratricida Dei iudicis sententiâ à communione Ecclesiæ exclusus, & in exilium eiectus, inter vagos errores urbem molitus est, de nomine filii sui *Hanochi*, & genus impiorum propagavit, ex quibus est impius ille *Lamech*, qui legitimum conjugium bigamiâ primus corrupit.

*Seth* in orbitatis solatium divino munere Parentibus concessus fuit. 131.

*Enos* : hujus ætate pii separârunt se ab impiis, & in cœtus majores sive publicos coiverunt : inde *filius Dei* appellati. 235.

*Cenan.*

*Mahalaleel.*

*Jared.*

325.

395.

461.